



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Monachi non debent causa lucri negotiari, vel a laicis firmas habere, vel laici ecclesias ad firmam tenere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

stolica sedis ) totius promotionis spem amittat. Episcopi vero, abbates, priores, tantæ enormitati consentientes, & non corrigentes, spolientur propriis honoribus, & ab ecclesiæ liminibus arceantur.

CAP. III. *Idem Londoniensi episcopo.*

Secundum instituta prædecessorum nostrorum, sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur, & ne monachi a clericis vel a laicis firmas habeant, vel laici ad firmam ecclesias teneant.

Supra de  
religios.

CAP. IV. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Clericis, qui in sacris ordinibus sunt constituti, iudicium sanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco. Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, aut præpositi sæcularis. Clerici etiam qui comam nutriunt, etiam inuiti ab archidiaconis suis tondeantur. Vestimentis autem & calceamentis, nisi quæ honestatem & religionem deceant, vti non liceat. Si quis autem contra venire præsumperit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat.

Ex Tolet.  
Concil.

Ex Conc.  
Rom. Clerici in sub.

CAP. V.

*Idem dilectis filiis G. priori & fratribus iuxta disciplinam bonæ memoriæ \* viuentibus.*

Ad petitionem vestram, regulam secundum quam viuere debeatis, & omnipotenti Deo seruire, duximus constituendam: In primis id statuentes, vt professionem maiori priori omnes laici faciant, in manu eius se absque proprio victuros promittentes, & continentiam, quantum permiserit diuina gratia, seruare. Cui quoque tam clerici quam laici, sicut proprio magistro & animarum suarum rectori, debitam in omnibus obedientiam promittant. Nec alicui inter vos professo liceat ad alium ordinem, absque prioris licentia, vilo modo transire, nisi forte ad religionem migrauerit arctiorem. Nullus, absque prioris licen-